

*Episcopus*) hinc episcopus est major presbytero cardinali quoad dignitatem ordinis episcopalis. Et per hoc patet ad alias sequentes probationes.

50. *Cardinales habent alas ligatas. Unde debent postulari, postulatione minus solemn.* — Nec obstat, quod cardinales dicantur habere alas ligatas. Inde enim solum sequitur, quod sint postulandi postulatione minus solemn, quatenus videlicet petenda est licentia Domini Papæ, ut possint discedere ab Ecclesia Romana, cui specialiter sunt astricti, ad Ecclesiam particularem, in cujus episcopum eliguntur: non autem inde sequitur, quod sint postulandi postulatione solemn, de qua impræsentiarum est sermo, ad instar episcoporum.

51. *Habent in Ecclesiis sui tituli jurisdictionem quasi episcopalem.* — Insuper ex eo, quod cardinales in Ecclesiis sui tituli habeant jurisdictionem quasi episcopalem, recte quidem colligitur eorumdem dignitas atque excellentia sui officii: non autem fœdus spiritualis conjugii cum Ecclesia proprii sui tituli, quæ est ratio, cur episcopi non possint eligi, sed solum postulari. Illud autem, quod nemo debeat eligi ad minorem dignitatem, est de decencia, non de necessitate: præsertim accedente proprio consensu, et in casu illo, ubi minor dignitas sub certo respectu simul existit major; prout episcopatus ratione ordinis episcopalis, atque spiritualis matrimonii cum propria Ecclesia, est major, digniorque simplici cardinalatu.

52. *Omnes clerici episcopis inferiores possunt eligi.* — Quæritur VI. Utrum abbates, alique clerici episcopis inferiores, ad aliam Ecclesiam, seu dignitatem possint eligi, vel potius sint postulandi? Resp. Omnes clerici infra episcopos non prohibentur eligi ex eo, quia habent Ecclesias seu dignitates inferiores. Hanc conclusionem pro regula ponit Abbas, cap. ult. n. 8, h. t. et Passerinus, cit. cap. xxiv, quæst. 12, n. 38; Pirhing, h. t. n. 13, et alii. Ratio est, quia non est tanta conjunctio inter inferiores clericos, et eorum Ecclesias, quanta inter episcopum et suam Ecclesiam: siquidem matrimonium spirituale proprie consistit inter episcopum, et suam Ecclesiam, can. *Sicut vir*, et can. *Sicut alterius*. 7, quæst. 2, et c. *Inter corporalia. de Translat. episcop.* Inter inferiores autem clericos, eorumque Ecclesias, non contrahitur proprie matrimonium, sed quasi matrimonium. Abbas, loc. cit. n. 5. Accedit, quod nullo jure sit prohi-

bitum, sed potius permissum, ut clerici episcopis inferiores eligantur, prout ostenditur inductione.

53. *Abbas potest eligi in episcopum.* — Sic quippe imprimis Abbas potest eligi in episcopum, text. clar., c. *Si abbatem*, 36, de *Elect.* in 6. Quamvis abbas, si sit exemptus, ac immediate subjectus Sedi apostolicæ, non possit ad aliam Ecclesiam transire sine licentia Papæ, vel ejus Legati de latere, prout ibidem notatur. In abbate autem non exempto requiritur, et sufficit ad hoc licentia proprii episcopi, aut immediati superioris, arg. c. *Si Religiosus*, eod. in 6.

54. *Idem dicendum de præpositis, dignitatibus inferioribus, ac religiosis. Specialia de consensu religiosorum quoad hoc.* — Deinde, quod præpositi, et habentes dignitatem inferiorem, possint eligi, patet ex c. *Cum inter*, 21, et c. *Dudum*, 22, de *Election.* Idem de religiosis esse dicendum, constat ex c. *Si religiosus*, 27, et c. *Nullus*, 28, de *Elect.*, in 6, cum similibus. Quanquam religiosi, cum velle vel nolle non habeant, electioni de se extra suum monasterium, vel suam Ecclesiam celebratæ, nequeant consentire absque petita et obtenta licentia sui superioris, et quidem sub nullitate actus, atque electionis, si secus quispian eorum facere præsumperit, cit. c. *Si religiosus*, et c. *Quorundam*, 24, eod. in 6.

55. *Pænæ postulantium indignum, quæ? De qua indignitate procedat hæc quæstio.* — Quæritur VII. Quæ sint pænæ postulantium indignum? Ubi prænotandum, quod præsentis quæstio solummodo intelligenda sit de indignitate, seu inhabilitate indispensabili, in qua videlicet vel non potest, vel non solet dispensari: ut si quis sit omnino illitteratus, criminosus, excommunicatus, suspensus, aut alium defectum indispensabilem patiens; juxta dicta n. 34. Alioquin enim postulatio solemn is semper fit circa personam de jure inhabilem ad obtinendam prælaturam, ac proinde dispensatione superioris indigentem. Hoc prænotato,

56. *Tales pro ea vice privati existunt jure postulandi, ac eligendi.* — Resp. I. Qui scienter ad prælaturam postulant indignum, set laborantem defectu indispensabili, ipso jure pro ea vice privati existunt potestate postulandi seu eligendi. Ita deservit ex c. 1, § fin., h. t., ac notat ibid. Glossa, *γ. Privare*, et Abbas, n. 31, cum aliis. Concordat, c. *Scriptum est*, 40, § *Si vero de Elect.*, cum similibus. Quomodo autem sit intelligendum ly scienter,

et ly pro ea vice, ex professo dicitur tit. seqq., § 41, num. 258 et seqq.

57. *Idem dicendum de iis, qui postulationem vitio personæ cassatam innovant.* — Resp. II. Insuper illi, qui postulationem vitio personæ cassatam, denuo innovare præsumunt, ipso jure pro una vice privati existunt potestate postulandi, et eligendi. Ita habetur expressum, cap. II, h. t., atque amplius declarat Glossa ibidem, vers. *Niterentur*, et doctores passim.

58. *Pænæ postulantium minorem viginti septem annis ad episcopatum.* — Resp. III. Qui minorem viginti septem annis (hoc est, eum, qui vigesimum septimum ætatis annum nondum attigit) scienter postulaverint ad Ecclesiam cathedralem; aut qui professorem cujusvis mendicantium ordinis postulant ad inferiores cathedralibus Ecclesias extra suos ordines: non solum pro ea vice postulandi, ac eligendi potestate ipso jure sunt privati; sed etiam beneficiis, quæ in tali obtinebant Ecclesia, per triennium suspensi esse noscuntur. Patet hoc ex Extravag. un., h. t., *Inter communes*: ubi etiam diversæ pænæ statuuntur in postulatos, qui ejusmodi postulationis de se factæ negotium per se, vel per alium, in Romana Curia prosecuti fuerint.

### § III.

#### DE FORMA POSTULATIONIS, ET ALIIS EAM CONCERNENTIBUS.

59. *Tutius est, ut forma scrutini observetur in solemn postulatione.* — Quæritur I. Utrum forma scrutini sit necessaria ad postulationem solemnem? Resp. Etsi tutius sit, ut forma scrutini (qualis pro electione præscribitur in c. *Quia propter*, 42, de *Elect.*) una cum aliis solemnitatibus ad electionem requisitis, etiam observetur in solemn postulatione; nihilominus id absolute necessarium non est. Ita Hostiensis in Summa. tit. de *Postulatione*. n. 29; Layman, cap. un. n. 5, et ibi Francus, n. 3, h. t. in 6; Fagnanus, c. *Publicato*, n. 50, de *Elect.*; Passerinus, cit. cap. xxiv, quæst. 3, num. 9; Pirhing, h. t. n. 31; Sylvester, vers. *Postulatio*. qu. 2, et alii ab ipsis citati. Quamvis quoad alteram partem oppositum teneat Abbas Panormit. in c. *Quia propter*. n. 9, quæst. 2, de *Elect.*; Innocentius, c. *In causis*. n. 1, eod.; Baldus ad rubricam. h. t. num. 4; Tholosanus, Tabiena, et nonnulli alii.

60. *Tutius est, ut forma scrutini observetur in solemn postulatione.* — Prima pars ex eo patet, tum quia plures insignes doctores (ut proxime allegati) censent, formam scrutini etiam ad postulationem requiri: ac proinde subintrat illud divi Augustini, relatum in c. *Si quis autem de pœnit.*, dist. 7. « Ergo tene certum, dimitte incertum; » tum quia electio et postulatio, tanquam duo ad unum eundemque finem tendentia, in jure æquiparantur: quinimo jura antiqua promiscue his vocabulis interdum utebantur; ut patet ex can. *Litteras*. dist. 63; tum tandem, quia licet Papa de plenitudine potestatis possit admittere postulationem, non servata forma scrutini celebratam, id tamen ordinarie facere non consuevit, ut ait Pirhing, cit. num. 31.

61. *Id tamen absolute non est necessarium.* — Secundæ vero partis probabilitas suadet, tum ex auctoritate doctorum pro ea jam allegatorum: tum ex eo, quia solemnitas scrutini nullibi in jure habetur expressa in ordine ad postulationem: nam in cit. c. *Quia propter, de Election.*, solum est sermo de electione. Accedit, quod majoris sit efficaciam electio, utpote per quam electo jus acquiritur, quam postulatio; ac proinde non mirum, quod plures ibi requirantur solemnitates, quam in postulatione: sicut in simili plures requiruntur solemnitates ad testamentum, quam ad codicillum. Tandem probatur hoc est eo: quia, si eadem solemnitates requirerentur ad postulationem, quæ ad electionem; ergo sicut hic publicato scrutinio non possunt variare electores, ita nec possent variare postulantes: atqui hoc est falsum, juxta dicta n. 27, et seqq.; ergo.

62. *Solvitur fundamentum oppositæ sententiæ.* — Ad fundamentum sententiæ oppositæ. resp. electionem et postulationem in jure suffragandi quidem æquiparari, ut jam dictum dictum n. 17. et seqq., non tamen in omnibus aliis, ac præsertim non in iis, quæ ad essentielle earum discrimen pertinent, vel inde oriuntur. Hoc autem fit in proposito, cum electio sit majoris virtutis, ac tribuat jus electo, non item postulatio: unde et postulantes adhuc variare possunt, non vero eligentes publicato scrutinio.

63. *Formulæ postulandi specialiter a jure canonico reprobate.* — Quæritur II. Quænam formulæ postulandi a jure canonico sint specialiter reprobate? Resp. I. Quæstio hæc resolvitur in cap. un. h. t. in 6, ubi sequentes formulæ, quas perniciose curiositas adinve-

nit, reprobantur, et ipso jure declarantur irritæ; videlicet, « Eligo postulando, et postulo eligendo. » aut « Eligo postulando, et postulo eligendum. » Ratio est, quia nec vera electio, nec vera postulatio resultat ex ipsis, quin sibi potius adversantur. Idem dicendum de hisce formulis: « Eligo in postulandum; » vel, « Postulo in eligendum: » cum rem imperfectam significare noscantur: prout ibidem argumentatur Pontifex.

64. *Illa: Eligo et postulo, prout potest melius de jure valere, est etiam invalida.* — Resp. II. Invalida quoque est sequens formula: « Eligo, et postulo, prout potest melius de jure valere. » Ita habetur cit. cap. un. h. t. in 6. Et ratio est, quia talis formula continet incertitudinem.

65. *Et quidem stante dubio, an quis sit eligendus, vel postulandus?* — Excipitur tamen casus quando probabiliter dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus. Verum in hoc casu postulatus, seu electus, tenetur tempore consensus eligere viam electionis, vel postulationis, ne in incerto vagetur: et harum una electa, ad alteram redire non poterit, prout ibidem subjungitur.

66. *Quo tempore postulatio sit præsentanda postulato.* — Quæritur III. Quo tempore postulato præsentanda sit postulatio, ab eoque consensus præstandus? Resp. I. Postulantes tenentur postulationem præsentare postulato quam citius commode poterunt: et si ipsi fuerint negligentes non præsentando infra octo dies, punientur ut electores. Ita desumitur ex c. *Quam sit ecclesiis, de Elect.* in 6, et c. *Cupientes*. § *Cæterum*, et § *Denique* juncta Glossa vers. *Consensus*. eod. in 6. Quia enim Ecclesiis dispendiosa est diuturna vacatio ipsarum, hinc quoad præmissa æquiparatur postulatio electioni, ut textus ibidem satis ostendit.

67. *Hujusque mens explicanda?* — Resp. II. Postulatus post factam sibi præsentationem postulationis, tenetur intra mensem explicare mentem suam; et si velit acceptare prælaturam, consentire conditionate, aut saltem dicere, quod non dissentiat, sed in hoc voluntati Domini Papæ se submittat. Ita Glossa loc. cit. junctis juribus præallegatis: et concordant dicta superius num. 15.

68. *Quomodo postulati dicantur non teneri præstare consensum?* — Nec obstat, quod in cit. cap. *Cupientes*, § *Denique*, dicatur, quod postulati « nec suis postulationibus præstare consensum teneantur. » Resp. enim, istud

esse intelligendum de consensu absoluto (talem enim nec dare possunt, nec debent; cum illis per postulationem nullum jus fuerit acquisitum, imo adhuc indigeant gratia, et dispensatione superioris) non autem de consensu conditionato, aut de non dissensu, qui est quid medium inter consensum et dissensum, arg. c. *Is qui tacet. de Reg. jur.* in 6. Glossa cit. § *Denique. vers. Consensum.* et vers. *Non dissenserint.*

69. *An postulatus intra mensem non explicans mentem suam, incurrat penam?* — Quod si postulatus intra mensem non explicaverit mentem suam, et nec consenserit, nec dissenserit postulationi, modo prædicto: ipse quidem non incurret penam statutam, cit. c. *Quam sit ecclesiis. de Elect.* in 6, quæ est privatio juris acquisiti ex electione: siquidem postulatus nullum jus ex postulatione acquisivit, quo possit privari. Nihilominus ex tali negligentia superior recte movetur ad negandam gratiam, ipsamque postulationem repellendam: quia postulatus ex ea negligentia præsumitur dissentire, arg. can. *Cum pro parvulis. de Consecrat.* dist. 4. Accedit, quod, licet postulatus ob talem negligentiam suam non possit amittere jus aliquod (talem enim non habuit) adhuc tamen censeatur amisisse spem gratiæ, quam habebat, ut loquitur Glossa loc. cit. vers. *Similis penæ*; sive illud tale quale jus æquitatis, qua cæterorum æquum est postulationem honestam admitti, arg. cit. c. *Quam sit Ecclesiis*. Passerinus, *de Electione*. cap. xxiv, quæst. 8, n. 15.

70. *Superior an possit repellere postulationem absque ullius injuria? Quid, si contra eam agatur de alicujus contemptu?* — Quæritur IV. Utrum superior teneatur admittere postulationem, vel hanc possit repellere absque ullius injuria? Resp. I. Postulatio contra quam agitur de contemptu, potest absque ullius injuria, et præjudicio repelli; tamen de speciali gratia potest etiam admitti. Patet hoc ex c. *Postulationem*. 5, h. t. juncto summario et doctoribus ibidem: nam, ut desumitur ex superscriptionibus, ac notat Abbas, dictum capitulum loquitur de eodem facto, relato in capitulo præcedenti, ubi § 1, fit mentio de postulatione attentata quibusdam contemptis, qui jus habebant eligendi. Unde referendo se ad dictam postulationem, de qua in capitulo præcedenti sermo erat, quamque alii impugnabant, inquit Pontifex: « Licet ergo per postulationem hujusmodi nullum jus sit alicui acquisitum, ideoque sine præjudicio

alicujus, postulationem potuissimus repellere memoratam: ut tamen vobis de speciali gratia consulamus, » etc. Accedit ratio: quia hoc ipsum procedit de electione, quæ si celebretur aliquibus contemptis, ad horum instantiam est cassanda; ut c. *Venerabilem*. 34, et c. *Bonæ memoriæ*. 36, *de Electione*. cum similibus.

71. *Aut si per ipsam minor utilitas præferatur majori?* — Resp. II. Insuper postulatio, per quam privata, seu minor utilitas præferatur communi, seu majori bono, non debet admitti, ac proinde ea absque ullius injuria rejicitur. Patet hoc ex c. *Bonæ memoriæ*. 3, h. t. ubi circa hoc habetur casus expressus, atque Papa rejecit postulationem alicujus cardinalis ad archiepiscopatum Ravennatensem, præferendo speciali communem utilitatem, eo quod dicti cardinalis præsentia fuerit utilior tam Romanæ, quam etiam universali Ecclesiæ. Nam publica utilitas est præferenda privatæ, can. *Scias*. 7, q. 1, cum concordantiis.

72. *Et quid, si ejus admissionem exigat publica causa?* — Resp. III. Si postulatio cæteroque rite fuerit celebrata ejusque admissionem exigat publica causa, ut puta necessitas, vel utilitas magna Ecclesiæ, tenetur ipsam superior admittere; nec potest eam repellere absque injuria postulantium, et Ecclesiæ, in qua facta est postulatio. Ita Abbas in c. *Postulationem*, num. 2, h. t. post. Joan. Andream, et Hostiensem in c. *Cum ad monasterium. de Elect.* atque tradit Glossa notabilis in c. *Cupientes*, § *Denique*. § *Gratia de Elect.* in 6, id a simili probans ex L. 1, § penult. ff. *de Aqua quotid.* Alexander consil. 80, n. 12, lib. 1; Fagnanus, c. *Bonæ memoriæ*, n. 66; h. t. et alii. Ratio est, quia superior ex lege justitiæ legalis, ac vi sui officii, tenetur necessitatibus commissæ sibi Ecclesiæ, atque utilitatibus boni communis providere; ergo etiam tenetur admittere postulationem, quoties viderit ita exigere causam publicam, sive necessitatem, magnamve utilitatem Ecclesiæ, in ipsos etiam postulantes redundaturam. Sin minus, fiet his injuria, ob non rite administratum sibi officium pastorale.

73. *Habet tunc locum imploratio officii judicis.* — Hinc notat Glossa in c. *Bonæ memoriæ*. 2, § *Gratia*, et ibi Layman n. 7, h. t. quod si prælatus Papa inferior, habens potestatem dispensandi, et postulationem admittendi, nolit hanc, licet concorditer, atque ex gravi causa celebratam admittere, postulantes

possint superioris prælati officium implorare. Licet enim ex postulatione actio non detur, ut dictum, n. 25, adhuc tamen locum habet imploratio officii judicis: nam remedium implorationis officii judicis conceditur, cum deficit actio proprie dicta, ut liquet ex c. *Officium judicis*. 2, *de Offic. judic.*

74. *Et potest superior prælatus compellere inferiorem ad postulationem admittendam.* — Atque in tali casu potest superior ille prælatus compellere inferiorem ad postulationem admittendam, si subsit causa tam justa, et concernens utilitatem Ecclesiæ: puta quia postulatus est potens ad defendendam Ecclesiam, aut bene doctus, sive morigeratus, licet non legitime natus, simulque non reperitur alius, per quem ita bene consulatur Ecclesiæ; prout exemplificat Abbas in c. *Bonæ memoriæ*. 3, n. 15, h. t.

75. *In Papam non cadit talis compulsio.* — In Papam vero non cadit talis compulsio, cum non habeat superiorem in terris, c. *Licet de vitanda*. § *fin. de Elect.* Unde respectu ipsius locum non habet imploratio officii judicis, sed potius postulantes gratiam debent implorare ab ipso, ut inquit Glossa proxime citata.

76. *Ob personam postulati dumtaxat, non compellitur superior admittere ejus postulationem.* — Rep. IV. Ubi non subsit causa publica, necessitatis v. g. vel utilitatis Ecclesiæ, sed ea concernit dumtaxat personam postulati, ut puta quia est ita doctus, vel morigeratus, ut mereatur dispensationem atque admissionem: tunc superior non compellitur ad faciendam ei hanc gratiam, et admittendam ejus postulationem, nisi velit. Ita Glossa, et Abbas, ubi supra, cum aliis. Ratio est, quia nemo invitus de suo cogitur facere beneficium, can. *Precaria*. 10, q. 2. Simulque non quidquid judicis potestati permittitur, juris necessitati subjicitur.

77. *Etiam si postulatio fuisset facta in concordia.* — Et hoc amplius cum Passerino cap. xxiv, *de Elect.*, quæst. 14, n. 46, etiam ad postulationem in concordia, sive ab omnibus, sive a duabus partibus capitularium factam, quidquid nonnulli in contrarium dicere videantur. Nam, ut probant rationes proxime allatæ, ubi superior ex officio, et lege justitiæ, aut alterius virtutis (utpote quarum actus in certis circumstantiis quodque cadunt sub præcepto) non tenetur admittere postulationem; tunc nec eam admittere compellitur, licet sit facta in concordia. Quinimo tunc

procedit illud cit. *c. Bonæ memoriæ*. 3, h. t. ubi dicitur, quod Sedes apostolica, « etiam quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex iustitia, quam ex gratia moveatur. » Quia videlicet postulato ratione suæ inhabilitatis ex postulatione nullum jus acquisitum fuit, simulque hic cessat ratio publicæ causæ, sive utilitatis: beneficium autem invitus nemo regulariter præstare cogitur. (ADNOTATIO XXIX.)

## TITULUS VI.

## De Electione, et Electi potestate.

1. *Ratio ordinis rubricæ*. — sum est titulo præcedenti de uno modo, quo Ecclesiis de idoneo pastore providetur per viam gratiæ, mediante videlicet postulatione: sequitur nunc alius modus, quo providetur eisdem per viam juris, seu mediante electione; nam postulatio innititur gratiæ, electio iuri. Quia vero præsens titulus valde copiosus est, simul et scitu utilissimus, eundem claritatis gratia oportet dividere in paragraphos.

## § 1.

## DE NATURA ELECTIONIS, EJUSQUE DIFFERENTIIS AB ALIIS MODIS PROVIDENDI ECCLESIAE.

2. *Electio est nomen verbale; et quid generatim, significet?* — Quæritur I. Quot modis electio sumatur? Resp. I. *Electio* est nomen verbale ac proinde habet duplicem significationem, activam videlicet, ac passivam: ut et cætera verbalia nomina, arg. L. 2, ff. *de Duobus reis*, juncta Glossa fin. ibid. Abbas ad rubricam h. t. n. 2. Et quidem generatim *Electio* significat delectum unius rei, vel personæ, a pluribus. In proposito autem ea restringitur ad personas quoad certam functionem, vel dignitatem ecclesiasticam eligendas. Quo modo de ipsa loquendo,

3. *Accipitur dupliciter*. — Resp. II. Electio dupliciter accipitur. Primo generaliter, seu latissime: quo modo etiam comprehendit postulationem, præsentationem, nominationem, et collationem; nam in his omnibus suo modo eligitur persona beneficio ecclesiastico idonea: quæ postuletur, præsentetur, nomi-

netur, aut cui beneficium libere a superiore conferatur. Sic in *c. Cum Ecclesia*. 31, h. t. Collatio canonicatus vacantis per episcopum facta, vocatur *Electio*: sicut et præsentatio clerici, *c. Querelam*. 24, eod. ibi: « Populus in quasi possessione præsentandi clericum existerat, quando ipsum presbyterum ad illam elegit. » Et quod etiam nominatio nomine electionis veniat, textus est in *c. Quod sicut*, 28, § 1, h. t. Secundo sumitur electio proprie, seu stricte, ac prout a cæteris enumeratis contradistinguitur: et in hoc sensu impræsentiarum de electione loquendo,

4. *Electio proprie dicta, quid?* — Quæritur II. Quid sit electio proprie dicta? Resp. *Electio* est personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, seu prælaturam, per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio auctoritate superioris confirmanda. Ita Hostiensis in Summa. tit. *de Electione*. n. 1; Sannig. eod. n. 2, et in re communis; patebitque bonitas datæ definitionis ex declaratione singularum particularum.

5. *Cur dicatur canonica vocatio?* — Dicitur cum primis, « Canonica vocatio. » Quia electio debet esse canonica, hoc est, facta secundum præscriptum sacrorum canonum, id est, absque vitio tum formæ electionis, tum eligentium, tum ipsius electi. Et additur *Vocatio*, non autem *Institutio*: quia electio non tribuit electo jus in re, neque possessionem beneficii, sicuti institutio (quæ vulgo dicitur *Installatio* seu *Investitura*) sed solummodo jus ad rem, donec superioris confirmatio accedat, a qua electio canonica suum complementum accipit, et acquiritur electo jus in re respectu prælaturæ. Atque ideo additur: « Auctoritate superioris confirmanda. »

6. *Episcopi olim dicebantur presbyteri*. — Dicitur ulterius, « Ad ecclesiam vacantem, seu prælaturam. » Quia hæc definitio proprie convenit illi electioni, per quam quis eligitur in caput, ac veluti sponsum Ecclesiæ: sive sæcularis, ut episcopi (qui olim dicebantur presbyteri, can. *Olim*. dist. 96, ibi: « Olim idem erat presbyter, qui et episcopus »); sive regularis, ut abbates, qui in suos quasi episcopalem jurisdictionem obtinent, *c. Abbates*. 3, *de Privil.* in 6. Quo tamen non obstante ea, quæ in progressu dicentur, etiam cæteris inferiorum electionibus, servata proportione accommodari possunt.

7. *Electio activa et passiva, quæ?* — Dicitur rursus « per eos, quibus jus eligendi competit, » ad denotandam electionem activam;

estque eorum, qui eligere possunt. Et additur « personæ idoneæ, » ad indicandam electionem passivam; illius nempe personæ, quæ est habilis; ut eligatur ad obtinendam prælaturam, sive dignitatem ecclesiasticam.

8. *Habere vocem activam, vel passivam, quid?* *Simpliciter privatus voce, in dubio censetur privatus sola voce activa*. — Et quidem illi, qui possunt eligere, dicuntur habere *Vocem activam*; posteriores, seu qui eligi possunt, habere dicuntur *Vocem passivam*: unde qui privati sunt voce activa et passiva, neque eligere possunt, neque eligi. Si quis vero simpliciter per canones privetur *voce*, id in dubio de activa tantum, quæ simpliciter et absolute *vox* est, non etiam de passiva accipiendum erit: nam in penalibus, stante dubio, verba stricte, atque in propria significatione accipienda sunt, juxta illud: « Odiā restringi, » etc. Et illud: « In pœnis benignior interpretatio est facienda, » *de Reg. juris* in 6. Exemplum hujus habetur in Clem. 2, *de Ætat. et qualit.* atque in concilio Trident. sess. 22, *de Reform.* cap. IV, ubi de iis, qui in ordine saltem subdiaconatus constituti non sunt, statuitur, ut vocem in capitulo non habeant. Intellegitur enim hoc de voce activa dumtaxat, ut tradit Garcias, part. III, *de Beneficiis*, cap. IV, in addit. sub n. 15; Barbosa, *de Canonicis*. cap. XVI, n. 18; Engel, h. t. A *princip.* c. 2. Ac proinde talis canonicus non subdiaconus bene potest eligi, licet non possit eligere. Imola ad cit. Clem. 2. § *An autem*. Potestque exercere actus non collegiales, sive illos, qui expediuntur a canonicis ut a privatis, non ut a capitulo. Glossa ad cit. Clem. 2, §. *In capitulo*.

9. *Modi generales providendi Ecclesiis, qui?* — Quæritur III. Quid sit nominatio, et quomodo differat ab electione, et postulatione? Ubi supponendum quod tres sint generales modi providendi Ecclesiis, videlicet per electionem, postulationem, et nominationem; ut desumitur ex *c. Bonæ memoriæ*. 3. § fin. *de Postulat. prælat.* ibi: « Quatenus per electionem, postulationem, seu nominationem canonicam in personam idoneam convenire curetis: » ac notat Abbas ibid. n. 8. Fagnanus n. 39, et concordat *c. Quod sicut*. § 1, n. 28, *de Elect.* Quamvis enim dentur alii quidam modi providendi Ecclesiis viduatis, seu beneficiis ecclesiasticis, videlicet per translationem episcoporum, per collationem beneficii liberi, et per institutionem in beneficio ad præsentationem patroni, item et

permutationem Ecclesiarum, seu beneficiorum, de quibus agitur in specialibus titulis: tamen hi ipsi modi facile ad unum prædictorum trium modorum, saltem generalius acceptorum, referuntur. Sic quippe collatio, et præsentatio, commode reducitur ad electionem latius sumptam: cum in his quoque interveniat delectus personæ habilis ad beneficium. Translatio autem episcoporum, sicut et permutatio inferiorum beneficiorum, non fit nisi ad præviam postulationem, electionem, seu nominationem alicujus, ac mediante nova institutione, cui per accidens est, quod episcopi translati, aut clerici permutantes, jam prius supponantur habuisse episcopatum, vel beneficium, ac proinde hæc duo non nisi per accidens, ac respectu termini a quo constituunt specialem modum. Passerinus cap. 1, *de Electione*, n. 53. His prænotatis,

10. *Nominatio triplex; et quid sit nominatio sollemnis?* — Resp. I. *Nominatio sollemnis* est illa, per quam duo, vel plures excellentiores nominantur, seu proponuntur superiori, ad hoc, ut unum ex illis admittat, eique de beneficio providere dignetur. Et additur notanter, « *Nominatio sollemnis*. » Nam, ut advertit Abbas in *c. Quod sicut*. n. 4, h. t.; Barbosa, lib. I, *Juris Eccles. univ.*, cap. XIX, n. 17; Fagnanus in *c. Bonæ memoriæ*, n. 79, *de Postulat. prælat.* post Rebuffum, tract. *de Nominat.* quæst. 1, n. 26, et alios, triplex potest distingui nominatio. Una dicitur consultoria, seu nominatio minus sollemnis; estque ea, quæ præcedit scrutinium, sive quæ fit in collegio quosdam proponendo, tanquam bonos viros, ut de eis fiat scrutinium. Et hæc nullum jus tribuit nominatis, arg. cit. *c. Quod sicut*, h. t. Imo tali nominatione non obstante, possunt capitulares eligere aliam. Abbas, loc. cit. et Fagnanus, ubi supra n. 78, post Glossam magnam, can. *Quanto*, dist. 63, eo quod per talem nominationem exprimat solum consensus de futuro. Altera nominatio est, quæ fit in scrutinio: et hæc coincidit cum vocatione privata singulorum eligentium, atque exprimit consensus de præsentati, et publicato scrutinio non potest amplius variari, ut *c. Publicato*. 58, h. t. Tertia nominatio est illa sollemnis, per quam duo, vel plures magis digni nominantur superiori, ut ex illis unum promovere velit. Et de hac impræsentiarum præcipue est sermo, atque de ipsa loquendo,

11. *Hæc in pluribus differt ab electione et*